Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift



& quanto crassior & profundior fuerit aqua: tanto ualidi
or & fortior piscis efficitur. Per pisces ut supra diximus. dupli
cem penitentiam accipimus. quam plerumque tam sufficienter submi
nistrat suis fidelibus. ut resoluti in lamentis. tantum effluant
in lacrimis. quantum eis suggerit uoluntas mentis. Vt autem
impleti sunt. dixit discipulis suis. Colligite que superauerunt
fragmenta ne pereant. Cum ergo superne inspirationis dulcedine cor
fuerit impletum. & penitentie luctu amaricatum. iubet dominus ho
minem colligere acta priora. ut & minima queque delicta cog
noscat. que in priori uita sua esse peccata uix aut nullatenus
scire poterat. Abrenuntiantibus denique huic seculo. sufficit maiora
crimina confiteri & plangere in conuersionis sue primordio.
quibus igne penitentie ad purum excoctis. & longo laboris ex
ercicio confractis. animum tandem ad plangenda minora & le
uia conuertunt. Sed cur panum fragmenta. minora uidelicet
delicta colligenda sunt. Vtique ne pereant. credimus enim & confi
temur. sub districti iudicis sententia periturum. quicquid in hac
uita non fuerit digna penitentie satisfactione expurgatum.
Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum
ex quinque hordeaceis panibus que superfuerunt his qui manducaue
rant. Per cophinos in quibus plerumque uiles res solent portari. cor
humilium apte ualet intelligi. angustum per humilitatem. dila
tatum per caritatem. Per decem uero cophinos. precepta signantur deca
logi. quibus dum scientia noui ac ueteris testamenti. siue duo pre
cepta caritatis coniunguntur. profecto duodecim cophini re
plentur. Et notandum. quod hec panum fragmenta. ex quinque horde
aceis panibus memorantur collecta. Nam hordeum est pabulum
iumentorum. & ideo per hordeum signatur uita carnalium. in ui
ta sua carnaliter uiuentium. Cor ergo quod in custodia hu
militatis est inclinatum. & in latitudine caritatis dilatatum.